



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio II. De Essentia Dei, & ejus attributis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Principiis per se notis, vel ex creaturis. Unde quotiescumque contra rectam rationem peccant Athei, peccant quoque contra Deum, quem tunc verè & propriè offendunt, tunc legem divinam verè & propriè transgrediendo: quia sicut Deum, ita & legem ejus non ignorant, nisi vincibili ignorantia, quæ proinde illos excusare non potest.

Dices. Gravis dicitur Atheum, Deum non existere, judicare non posse abique formidine oppositi. N. Nam notitia Dei ita omnibus obvia est, & omnia, quæ nos circumstant, ita nobis clamant Deum esse, ut non possit Atheus animum applicare ad motiva, quibus inducitur ad negandam Dei existentiam, quin simul menti ejus ultra se ingerant rationes in oppositum, & quidem multæ & graves, quæ antequam expendantur, pariunt saltem dubitationem & formidinem mentis, quæ abique gravi imprudentia non potest contemni: sicut expensæ diligenter, semper pariunt convictionem, vel metaphysicam, vel physicam, vel saltem moralem.

RESPONSIO II.

Non potest dari negativa Dei ignorantia invincibilis pro longo aliquo temporis intervallo.

Prob. Nemo adultus, rationis compos, potest longo tempore carere invincibiliter notitia Dei existentis. Ergo, &c. *Prob. antec.* Nam 1. ut jam dictum est, creatura omnes ita clamant Deum existere, & tam conspicuos divinitatis characteres omnium oculis exhibent, ut nemo possit, quantumvis rudi & inculto animo sit, modò tamen ratione utatur, versari in hoc orbe, & terram, cælum, astra, solem, &c. contemplari, quin statim, aut saltem brevi, in mentem ejus subeat aliqua cogitatio de architecto & domino illarum omnium rerum, videlicet num existat sapientissimus aliquis atque potentissimus artifex, à quo illa omnia facta sint, conserventur, & regantur, an non existat. 2. Si, ut debet, serio animum applicet, & quam moraliter potest, diligentiam adhibeat in inquirenda tanti momenti veritate, infallibiliter, nec longo tempore, notitiam Dei assequitur, vel evidentem, vel saltem probabilem, quæ sensim crescit, præsertim si illi, ut tenetur, vitam & mores conformet. Ergo, &c.

Potest hæc doctrina planè consonat, 1. Scripturæ. Nam dicitur Sap. c. 13. *Amagnitudine speciei & creatura, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Et Rom. c. 1. *Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ verba generalia sunt, & in sua generalitate accipienda: cum nulla subest causa ea restringendi ad certos homines. Unde apertè significant omnibus omnino hominibus, qui ratione utuntur, notitiam Dei ex rebus creatis ita comparatu faciliem esse, ut illam, si attendere velint, levi negotio, & brevi tempore assequantur. 2. Patribus. Nam sic loquitur Tertullianus, lib. 1. contra Marcionem c. 19. *Anima à primordio conscientia Dei dos est.* Et S. Damascenus lib. 1. orthodoxæ fidei c. 3. *Dei notitia nobis à natura insita est.* Quibus verbis significant, in omnibus hominibus principia quædam per se nota esse, ex quibus facili discursu existentiam Dei colligere possunt; vel omnes homines per lumen naturale adeo circa existentiam divinam illustrati, ut vix, ac ne vix quidem, Dei existentis cognitione carere possint.

Obj. Indiarum Barbari, in silvis degentes, nullam planè Dei existentis cognitionem habent: nullam enim rem ut Deum colunt, nullum nomen Deo imposuerunt, nulla Deo templa aut sacra dedicant. R. Inde tantum sequi, quòd dari possit, & detur ignorantia Dei negativa in aliquibus hominibus, quibus congruit illud Sap. c. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non pervenerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex.* At hæc ignorantia Dei negativa, in Indiarum Barbaris est planè vincibilis & culpabilis, Non enim fieri potest, ut ad aspectum creaturarum, longo aliquo tempore, non subrepat illis aliqua cogitatio de

supremo, aliquo rerum illarum architecto & domino; Unde si in tanta luce cecutiunt, id fit, quia nolunt, vel negligunt intelligere, ut bene agant; & ignorantia illa negativa Dei, qualaborant, est in eis affectata, vel saltem crassa; præsertim cum non desit illis pro loco & tempore auxilium gratiæ, quo rudis & hebes eorum animus illustretur, supposito quòd tali auxilio indigeant, ad assequendam Dei notitiam. Hinc quoties peccant, non solum peccant contra rectam rationem, sed etiam contra Deum, eumque offendunt; & si peccant graviter, merentur damnationem æternam, quia virtualiter & interpretativè contemnunt Deum, quem non nisi vincibiliter ignorant.

Dices. Indiarum Barbari ita hebetes sunt, ut nullius demonstrationis vim percipere queant. R. Esto. At possunt ut minimum ex creaturis cognitionem Dei probabilissimam, aut saltem probabilem assequi. Quo posito, sunt omnino inexcusabiles. Nam tenentur Deum cognoscere meliori modo quo possunt, adhibita morali diligentia, & eum meliori modo, quo possunt, cognitionem revereri & colere. Unde merito illis imputatur, quòd ignorent Deum, quem saltem probabiliter cognoscere possunt, neque eum reverentur & colant; quia eum sua culpa ignorant. Item merito illis ad damnationem imputantur gravia facta, dicta, & concupita contra legem naturalem, licet eam ignorent. Quia per moralem diligentiam possent eam cognoscere saltem probabiliter; & probabiliter cognita illos obligaret.

RESPONSIO III.

Potest tamen dari pro brevi aliquo temporis intervallo ignorantia Dei negativa invincibilis.

Prob. Nam 1. adultus in primo instanti physico, quo incipit rationis usum habere, potest habere inculpabilem incogitantiam & inadvertentiam Dei. Facile enim evenire potest, ut tunc mens ejus distrahatur, & aliò avertatur. 2. Etiam si adultus in primo illo instanti physico, quo fit rationis compos, ex aspectu creaturarum, aut quavis alia de causa cogitet de Deo; cum Deum existere non sit per se notum quoad nos; certè aliquantum temporis insumet in formando discursu, quò de existentia Dei juxta captum suum convincetur; præsertim si magistrum non habeat, à quo instruat, & sit valde hebes & barbarus. Ergo potest aliquanto temporis intervallo inculpabiliter nescire, vel potius nondum scire Deum esse.

Obj. Qui sic ignoraret Deum invincibiliter, etiam brevissimo tempore, intra brevissimum illud tempus non peccaret mortaliter, etiam gravia flagitia admittendo. R. N. Nam intra breve illud tempus, quo quis nondum scit Deum existere, si quid graviter malum admittat, illudque cognoscat, vel saltem suspicetur graviter adversari rectæ rationi, non potest tunc illi in mentem non venire, supremum aliquem rerum omnium dominum, atque legislatorem fortasse existere, cui illud malum etiam displiceat. Quia quoties recta ratio dicit aliquid adversari naturæ rationali, simul & indivisibiliter eodem actu saltem confusè dicit, illud idem displicere supremo enti, naturæ rationalis auctori, cujus est naturam rationalem tueri & regere. Unde in facta hypothesi adultus, qui aliquid graviter malum admittit, lubens ac volens exponit se periculo graviter offendendi supremum rerum omnium dominum & legislatorem, proindeque illum graviter offendit, & fit supplicii æterni reus.

DISPUTATIO II.

De Essentia Dei, & ejus attributis
in communi.

IN hac disputatione quaritur, 1. Utrum omnes omnino perfectiones sint in Deo, & quomodo sint. 2. In quo consistat essentia Dei. 3. Utrum & quomodo attributa divina inter se & ab essentia divina distinguantur.

Disputatio II. Articulus I.

9

tur. 4. Quid Gilbertus Porretanus circa distinctionem essentiae divinae & ejus attributorum senserit.

ARTICULUS I.

Utrum omnes omnino perfectiones possibiles sint in Deo, & quomodo.

NOta 1. Perfectiones aliae sunt simpliciter simplices, aliae secundum quid tantum. Perfectio simpliciter simplex est ea, quae in ente, praecise ut est ens, ipsa melior est, quam non ipsa: perfectio verò secundum quid, quae non est talis. Porro 1. non ipsa, non sumitur negativè, pro negatione scilicet perfectionis simpliciter simplicis, aut secundum quid; sed positivè, pro alia perfectione impossibili. Itaque si enti ut sic perfectionem aliquam addas, vel intelligitur melius se habere cum illa, quam cum alia qualibet impossibili, vel non intelligitur. Si primum. Perfectio erit simpliciter simplex. Si secundum. Non erit perfectio nisi secundum quid. Sic ratio spiritus est perfectio simpliciter simplex; quia melius est enti ut sic esse spiritum, quam esse quiddam aliud, cum spiritu impossibile. Ratio verò corporis est tantum perfectio secundum quid, quia ens ut sic melius se habet cum alia perfectione, quae cum ratione corporis impossibilis est. Melius enim est enti ut sic esse spiritum v.g. quam esse corpus.

Nota 2. Perfectio aliqua potest alicui inesse variis modis, formaliter scilicet, virtualiter, aequivalenter, & eminenter. Continetur formaliter, si continetur secundum propriam rationem objectivam, seu secundum definitionem. Continetur virtualiter, si continetur tanquam effectus in causa. Continetur aequivalenter, si continetur secundum formam similem ejusdem ordinis, quae eadem praestare potest. Continetur denique eminenter, si continetur virtualiter aut aequivalenter secundum formam altioris ordinis, hoc est, si subjectum, cui inesse dicitur, potest aut illam producere, aut idem praestare per altioris ordinis perfectionem, quam habet.

RESPONSIO I.

Omnes omnino perfectiones possibiles in Deo continentur aliqua ratione.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Exodi c. 33. Deus de se ipso loquens Moysi dicit: *Ostendam omne bonum tibi.* At Deus non esset omne bonum, nisi aliqua ratione contineret omnes omnino perfectiones possibiles. Ergo, &c. 2. Autoritate S. Damasceni lib. 1. ort. fidei c. 12. ubi de Deo sic ait: *Universum id quod est, tanquam immensum quoddam & infinitum essentia pelagus complexu suo continet.* 3. Ratione. Nam aliqui posset cogitari aliquod ens melius Deo, illud nimirum, quod omnes omnino perfectiones haberet meliori modo, quo haberi possunt.

RESPONSIO II.

Omnes perfectiones simpliciter simplices continentur in Deo formaliter.

Prob. Nam continentur in Deo secundum propriam rationem objectivam & definitionem. Ergo, &c. Conf. patet ex not. 2. **Prob. ant.** Omnes enim perfectiones simpliciter simplices continentur secundum propriam rationem & definitionem in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, ut consideranti patet. Et verò si aliqua non contineretur secundum propriam rationem, certè quia excluderet aliam meliorem, vel aequalem, secum impossibile. At hoc esse non potest. Quia omnis perfectio simpliciter simplex melior est omni alia secum impossibile. Ergo, &c. Hinc omnes perfectiones simpliciter simplices denominant Deum, & Deus dicitur substantia, spiritus, sapiens, iustus, &c.

RESPONSIO III.

Perfectiones secundum quid non continentur in Deo formaliter.

Prob. Non continentur in Deo secundum propriam rationem & definitionem. Ergo, &c. Conf. patet ex dictis. **Prob. ant.** Quia aliqui Deus non haberet secundum propriam rationem alias perfectiones meliores, quarum propriam rationem perfectiones secundum quid excludunt à subjecto, cui insunt. Sic si Deus esset corpus, non esset spiritus: & tamen melius est esse spiritum, quam esse corpus. Absurdum conf. Alioqui Deus non esset, quidquid est melius esse. Quod manifestè repugnat Deo; cum sit ens, quo nihil melius esse vel cogitari potest. Ergo, &c. Hinc perfectiones secundum quid non denominant Deum. Sic Deus non dicitur corpus, animal, rationalis, &c.

RESPONSIO IV.

Perfectiones secundum quid continentur in Deo virtualiter, aequivalenter, & eminenter.

Prob. 1. Continetur virtualiter. Deus enim potest illas producere; cum sint entia creata. 2. Continetur aequivalenter. Quia nulla est, cui Deus non aequivaleat, sive in essendo, sive in operando. 3. Continetur eminenter. Nam Deus potest illas producere, & quod illae praestant, praestare per altioris ordinis perfectionem. Producit enim illas per suam omnipotentiam; & quod illae pro modulo suo, nec sine multis imperfectionibus praestant, praestat ipse absque ullo defectu, & cum singulari excellentia; & consequenter, quod illae possunt, ipse potest per eminentiorem longè perfectionem. Haec autem omnia confirmantur ex eo, quod quam optime conveniant cum idea entis, quo nihil melius cogitari potest.

ARTICULUS II.

Quanam inter perfectiones divinas constituat essentiam Dei.

NOta 1. Essentia divina potest sumi tripliciter. 1. In sensu physico, seu prout est à parte rei; & sic sumpta includit omnes rationes, tum absolutas, tum relativas, quae sunt in Deo, rectèque describitur: Ens summum, substantia unum, personis trinum. 2. In sensu metaphysico latiori; & sic sumpta, praecindit à solis perfectionibus relativis, proindeque includit omnes & solas rationes absolutas, quae sunt in Deo, & sunt communes tribus personis. 3. In sensu metaphysico strictiori; & sic sumpta, est prima ratio, qua Deus secundum nostrum concipiendi modum constituitur. Hic autem agitur de essentia Dei considerata in hoc tertio sensu; & quaeritur in quo consistat. Circa quod plures sunt sententiae. Prima constituit essentiam Dei in cumulo omnium perfectionum simpliciter simplicium. Secunda, in intellectione actuali. Tertia, in ratione entis infiniti. Quarta, in ratione entis spiritualis à se. Quinta denique, in ratione entis à se.

Nota 2. Ut aliqua ratio sit essentia rei strictè sumpta, quatuor requiruntur. 1. Ut sit aliquid intrinsecum. Nihil enim per extrinsecum constituitur: cum res omnis sit id, per quod constituitur. 2. Ut ita sit proprium rei, cuius est constitutivum, ut faciat eam ab omni alio differre, juxta illud axioma: *Per id res constituitur, per quod & distinguitur.* 3. Ut faciat primò differre: alioqui non constituit rem, sed supponit constitutam. 4. Ut sit radix proprietatum rei: nam cum debeat esse prima rei differentia, necesse est ut ceterae differentiae, quae non sunt ab extrinseco, prosuant ex ea, tanquam ex fonte, juxta nostrum modum concipiendi. His praesuppositis, sit

RESPONSIO I.

Essentia Dei strictè sumpta non consistit in cumulo omnium perfectionum simpliciter simplicium.

Prob.

Prob. Nam essentia Dei strictè sumpta non consistit in eo, quod non est quid primum in Deo, secundum nostrum concipiendi modum; sed è contra intelligitur à nobis fluere ab alio, quod est prius in Deo, secundum nostrum modum concipiendi, ut patet ex 2. not. Atqui tales sunt multæ perfectiones ex iis, quas includit cumulus omnium perfectionum, ut patet ex infra dicendis. Ergo, &c.

Obj. 1. Patres multi essentiam Dei constituunt in cumulo omnium perfectionum, & cum illis S. Thomas hic q. 6. a. 3. in O. ubi sic loquitur: *Qua de aliis dicuntur accidentaliter, sibi (Deo) conveniunt essentialiter, ut esse potentem, sapientem, & huiusmodi.* Ergo, &c. R. Patres illos, & S. Thomam, intelligendos esse de essentia Dei sumpta vel in sensu physico, vel in sensu metaphysico latiori, in quo utroque sensu essentia divina includit omnes omnino perfectiones simpliciter simplices: quia, ut dicit S. Thomas verbis laudatis, Deus se ipso, seu per entitatem suam est potens, sapiens, &c. Cum creaturæ non sint potentes, sapientes, &c. nisi per entitates, earum entitati superadditas, & ab ea separabiles. Porro cum Patres loquuntur de essentia divina strictè sumpta, ab ejus conceptu excludunt sapientiam, justitiam, bonitatem, & alia huiusmodi attributa. *Sive bonum, inquit S. Damascenus lib. 1. ort. fidei c. 4. sive justum, sive sapientem, sive quicumque tandem aliud dicere libeat, non Dei naturam, sed quæ natura insunt, exponis.*

Obj. 2. Essentia divina est id totum, quod Deus est. Ergo est cumulus omnium perfectionum. R. Essentiam divinam strictè sumptam, esse tantum id quod Deus est per se primò secundum nostrum modum concipiendi. Unde nego conseq. *Instabis.* Atqui Deus est per se primò cumulus omnium perfectionum. N. *Probabis.* Deus est per se primò Ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. R. Dist. ant. Deus est per se primò Ens, quo nihil melius cogitari potest in ratione essentiae, C. ant. Quo nihil melius cogitari potest simpliciter, N. ant. & conseq. Itaque Deus per se primò est Ens, quo nihil melius cogitari potest in ratione essentiae; quia, ut infra probabitur, Deus per se primò est ens à se. Aseitas autem constituit essentiam, qua nulla alia melior esse, vel cogitari potest. At Deus non est per se primò ens, quo nihil melius cogitari potest simpliciter: quia ens, quo nihil melius cogitari potest simpliciter, includit in suo conceptu multas perfectiones, quæ supponunt Deum in suo esse constitutum per aliam perfectionem, ex qua velut radice prosunt, secundum nostrum modum concipiendi.

Obj. 3. Essentia Dei strictè sumpta, est essentia actus purissimi. Atqui essentia, etiam strictè sumpta, actus purissimi includit omnes omnino perfectiones. Ergo, &c. *Prob. min.* Si non includit aliquas, est in potentia ad illas, tanquam perfectibile ad perfectivum. Conf. implicat. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam actus purissimus dicitur, qui expers est omnis potentialitatis & perfectibilitatis; & consequenter implicat, essentiam, etiam strictè sumptam, actus purissimi esse in potentia ad aliquas perfectiones, tanquam perfectibile ad perfectivum.

R. N. min. primi syllogismi. Ad prob. dist. sequelam maj. Si non includit aliquas perfectiones, est in potentia metaphysica, & secundum nostrum modum concipiendi, ad illas, ut perfectibile ad perfectivum, C. seq. maj. Est in potentia physica & reali, N. seq. maj. & dist. min. Implicat essentiam strictè sumptam actus purissimi esse in potentia physica & reali ad aliquas perfectiones, C. min. In potentia metaphysica, & secundum nostrum modum concipiendi, N. min. & conseq. Ad prob. min. R. Dist. Actus purissimus dicitur ille, qui expers est omnis potentialitatis & perfectibilitatis physicae & realis, C. Metaphysica, & secundum nostrum modum concipiendi, N. Hæc enim potentialitas, 1. non destruit rationem actus purissimi, ad quam sufficit, ut id, quod dicitur actus purissimus, per entitatem simplicissimam, & planè expertem compositionis realis, ita sit completum in omni genere perfectionis, ut nec perficiatur, nec ulterius perfici possit per aliquid sibi realiter superadditum; sed sit se ipso formaliter in omni genere perfectionis absolutissimum, 2. Nullam planè importat

imperfectiorem in objecto, de quo dicitur; sed aliquam tantum supponit in intellectu creato, non valente obiectum illud unico conceptu adequato sibi distinctè repræsentare: unde ut illud distinctè cognoscat, indiget pluribus conceptibus inadæquatis, & præcisivis, quorum uno sibi distinctè repræsentat v. g. in Deo unam perfectionem per modum radices cæterarum, & sufficienter constituentis Deum in esse Dei; aliis verò singulis singulas alias perfectiones per modum entitatum Deo in suo esse constituto advenientium, ipsunque perficientium, & complementum in ratione entis, quo nihil melius esse vel cogitari potest simpliciter.

Intellectus autem humanus, sic operando circa Deum, imperfectè quidem operatur, & modo minimè proportionato excellentiæ divinæ: at nec fallitur, nec ullam Deo affingit imperfectiorem, quia nullam in Deo fingit distinctionem, compositionem, potentialitatem, aut perfectibilitatem, sed solum multa, quæ sunt in Deo unica entitas simplicissima, apprehendit multis & diversis conceptibus per modum distinctorum, compositorum, potentia perfectibilis, & actus perficientis; quia aliter non potest, quantum valet, distinctè Deum cognoscere; & entitas illa simplicissima, quæ est illa multa in Deo, æquivalens, seclusa omni imperfectione, entitati non simplici, in qua proinde illa multa essent distincta, composita, ut unum adveniret alteri, tanquam actus potentia, quam realiter perficeret.

Porro quia de rebus loquimur ad modum quo eas concipimus, de perfectionibus divinis loquimur tanquam de distinctis, compositis, perfectibilibus & perfectivis. Sic autem loquendo de iis quæ insunt Deo, imperfectè loquimur de eo, & modo excellentiæ ejus minimè proportionato; rectè tamen pro modulo nostro loquimur: quia sic loquendo, nihil de Deo affirmamus imperfectum, & ipso indignum, sed solum dicimus perfectiones divinas in Deo præstare, seclusis imperfectionibus, quod præstarent multa distincta, composita, perfectibilia & perfectiva, quibus, seclusis imperfectionibus, æquivalent; quod verissimum est.

RESPONSIO II.

Essentia Dei strictè sumpta, non consistit in ratione entis infiniti.

Prob. Quia si essentia Dei strictè sumpta consistit in infinitate, vel consistit in infinitate formali, vel in fundamentali, vel in materiali, Nihil horum dici potest. Non primum. Nam essentia divina non potest consistere in mera negatione. Atqui infinitas formalis est mera negatio: est enim mera carentia termini. Ergo, &c. Non secundum. Nam essentia Dei strictè sumpta, non consistit in eo, quod non est quid primum in Deo. Atqui infinitas fundamentalis non est quid primum in Deo: nihil enim aliud est, quam talitas perfectionum divinarum, vi cuius carent termino. Hæc autem talitas non est quid primum in Deo, sed fluit ab aliquo alio, quod est prius in Deo, secundum nostrum modum concipiendi, nempe ab aseitate, ut ostendetur. Ergo, &c. Non denique tertium. Nam infinitas materialis nihil aliud est, quam cumulus omnium perfectionum, termino carentium. Atqui essentia Dei strictè sumpta, non potest constitui in illo cumulo, ut probatum est. Ergo, &c.

Obj. Essentia Dei strictè sumpta, est essentia entis infiniti. Ergo est infinita. Essentia enim entis infiniti non potest esse finita. Ergo essentia Dei strictè sumpta, consistit in aliquo infinito. R. Essentiam Dei strictè sumptam, esse infinitam in ratione essentiae: cum in ratione essentiae nihil melius esse & cogitari possit, & perfectio constituens essentiam Dei strictè sumptam, sit infinita in sua linea. Inde tamen non sequitur, essentiam Dei strictè sumptam consistere in infinitudine. Ratio est, quia perfectio constituens essentiam illam, non eam constituit, quæ talis est, ut careat termino; sed præcisè quæ talis est, ut tribuat enti, cuius est essentia, existere independentem ab omni causa, sive producente, sive conservante, ut infra videbitur.

Disputatio II. Articulus III.

II

RESPONSIO III.

Essentia Dei strictè sumpta, non consistit in intellectione actuali, neque in ratione entis spiritualis à se.

Prob. 1. pars. Nam intellectio actualis, cum sit operatio, non potest esse quid primum in Deo, secundum nostrum modum concipiendi: nam supponit facultatem intelligendi, nec Deus intelligit actu, nisi quia potest intelligere; unde secundum nostrum modum concipiendi, intellectio actualis fuit in Deo à potentia intellectiva, quam etiam potentiam aliunde emanare concipimus, nempe ex essentia.

Prob. 2. pars. Quia similiter spiritualitas, sive immaterialitas non est quid primum in Deo, sicut nec perfectitas. Nam ratio spiritus, sicut & ratio substantiæ, supponit aliquid in Deo, unde fuit, secundum nostrum concipiendi modum, nempe afeitatem: Deus enim est substantia & spiritus, quia est ens à se. Ergo, &c.

Obj. contra 1. partem. Inter gradus, quibus naturæ constituuntur, supremus & perfectissimus est gradus intelligendi. Ergo ad illum pertinere debet prima ratio constitutiva Dei; & consequenter prima ratio constitutiva Dei non potest esse, nisi intellectio purissima, & actualissima. *R.* Inter gradus, qui constituunt naturas creatas, supremus & perfectissimus esse gradum intelligendi; at præter hunc gradum dari adhuc alium superiorem, nempe gradum essendi à se, qui soli Deo competit, & habet omnes alias conditiones, necessarias ad constituendam essentiam Dei strictè dictam.

Obj. contra 2. partem. Spiritualitas, sicut & perfectitas, est de essentia Angeli strictè sumpta. Ergo & de essentia Dei strictè sumpta. *R.* N. conseq. Ratio negandi est, quia spiritualitas & perfectitas sunt quid primum in Angelo, non in Deo. *Dices.* Ergo spiritualitas & perfectitas sunt accidentia in Deo. *R.* Esse accidentia metaphysica in Deo, & proprietates eius essentiae strictè sumptæ. *At inquit.* Sunt de substantia Dei. Ergo non sunt accidentia. *R.* Dist. Sunt de substantia Dei, si per substantiam Dei intelligis eius entitatem, C. Si per substantiam Dei intelligis eius essentiam strictè dictam, N. Unde N. etiam conseq. Nam illud omne est accidens metaphysicum, quod est extra essentiam rei strictè dictam, licet sit de eius entitate, ut patet in risibilitate respectu hominis.

RESPONSIO IV.

Essentia Dei strictè sumpta, consistit in afeitate, seu in existentia à se.

Prob. Afeitas habet omnes conditiones necessarias ad constituendam essentiam Dei strictè dictam. Ergo, &c. *Prob. ant. 1.* Afeitas est maxime intrinseca Deo: duo enim tantum dicit, nempe existentiam, & modum huius existentie, quandam scilicet sufficientiam, & independentiam ab omni causa efficiente: quæ duo sunt Deo maxime intrinseca. 2. Afeitas est ita Deo propria, ut faciat eum differre ab omni alio. Solus enim Deus est ens à se, & cætera omnia sunt entia ab alio, ut demonstratum est superiori Disputatione. 3. Afeitas facit Deum differre primò ab omni eo, quod non est Deus: nam est omnium rationum, quæ Deo insunt, prima secundum nostrum modum concipiendi. 4. Est secundum nostrum modum concipiendi radix omnium aliarum perfectionum divinarum, sive soli Deo convenient, sive communes sint Deo & creaturis. Deus enim omnes alias perfectiones, quas habet, habet quia est ens à se, ut

Declaratur 1. Est ens necessarium, quia est ens à se: habet enim summam necessitatem existendi, quia habet plenissimam sufficientiam ad existendum. 2. Est ens æternum, quia est ens à se: nam est ens æternum, quia est ens summè necessarium, & est ens summè necessarium, quia est ens à se, ut modo probatum est. 3. Deus est substantia, quia est ens à se. Nam per illud convenit illi perfectas, per quod illi repugnat inalicetas. At inalicetas repugnat illi, quia est à se. 4. Deus est spiritus, quia est à se: nam per illud convenit illi esse spiritum,

per quod illi convenit esse substantiam immaterialem potius quam materialem. Hoc autem convenit illi, quia est ens à se. Hoc ipso enim quod habet supremum & perfectissimum gradum existendi, exigit esse quiddam est melius esse. Propter eandem rationem Deus est sapiens, iustus, misericors, potens, &c. 5. Deus habet facultatem intelligendi, & volendi cum libero arbitrio, quia est ens à se. Habet enim hæc omnia, quia est spiritus; & est spiritus, quia est ens à se, ut probatum est. 6. denique, Deus est omnipotens, omnisciens, immensus, &c. quia est ens à se: nam hoc ipso quod est ens à se, non habet unde limiteretur in ulla sua perfectione.

Obj. Afeitas, quæ talis, est mera negatio: nam Deus dicitur à se merè negativè, quatenus scilicet est ens improductum, & nullam habens causam sui. Ergo afeitas non potest constituere essentiam divinam, cum sit aliquid positivum, R. N. ant. & probationem eius. Nam afeitas sonat quidem negationem, at importat perfectionem, maxime positivam, huic negationi substratam, nempe plenissimam sufficientiam ad existendum. Sed

Nota 1. Existentiam esse de essentia Dei strictè sumpta: nam est aliquid primum in Deo, secundum nostrum modum concipiendi, quia in Deo existere à se, est quid primum, secundum nostrum modum concipiendi; nec existere à se in Deo, prius est, quam existere, ut per se patet. Unde hæc propositiones: Deus est ens à se: Deus est: Deus est suum esse: sunt propositiones essentielles. Hinc hoc nomen, *Qui est*, est maxime proprium Dei; & Moysi querenti nomen Dei, Deus aptissime respondit, Exod. 3. *Ego sum, qui sum. Sic dices filius Israel: Qui est, misit me ad vos.* Hæc autem propositiones: Deus est substantia: Deus est spiritus: non sunt strictè loquendo essentielles: in illis enim, ut constat ex dictis, prædicatum non est de essentia subiecti strictè sumpta.

Nota 2. Deum non posse propriè definiri, quia non habet genus. Et verò si habet, vel est ens, vel substantia, vel spiritus. Nihil horum dici potest. Non primum. Quia genus propriè dictum præscindit à differentiis, & vicissim. At nec ens præscindit à differentiis, nec differentie ab ente, ut probatum est à nobis in Metaphysica. Non secundum, aut tertium. Nam genus propriè dictum est quid primum in re. At nec substantia, nec spiritus, est quid primum in Deo. Deus tamen optimè describitur: Ens à se existens: Substantia à se existens: Spiritus à se existens: quia in his propositionibus tota essentia Dei strictè sumpta exprimitur.

Nota 3. Deum non posse propriè reponi in categoria substantiæ. Illud enim solum propriè reponitur in prædicamento substantiæ, de quo substantia prædicari potest tanquam genus. At substantia de Deo non prædicatur tanquam genus, sed solum tanquam attributum ex afeitate proficiens. Ergo, &c. Potest tamen Deus utcumque reponi in illa categoria; quia, cum substantia sit univoca Deo & creaturis, potest utcumque sic institui prædicamentum. Substantia alia est materialis, alia immaterialis. Immaterialis constituit spiritum. Spiritus alius est à se, alius ab alio. Spiritus à se est Deus, &c.

ARTICULUS. III.

Utrum & quomodo attributa divina distinguantur inter se & ab essentia divina.

Nota 1. Attributum divinum sumi potest dupliciter: latè & strictè. Attributum divinum latè sumptum, est illud omne, quod de Deo potest verè affirmari. Hoc sensu afeitas ipsa est attributum Dei. Attributum divinum strictè sumptum, est ea omnis perfectio, quæ Deo jam constituto in suo esse, advenit secundum nostrum modum concipiendi, ut sapientia, iustitia, &c. De attributis divinis hoc modo sumptis deinceps agitur.

Nota 2. Distinctio est formaliter, vel saltem consequenter, negatio identitatis. Unde ea dicuntur distincti, quorum unum non est aliud. Distinctio autem alia est realis, alia rationis. Realis est negatio identitatis

tatis in sensu reali, & ea distinguuntur realiter, quorum unum non est aliud in sensu reali. Distinctio rationis est negatio identitatis in sensu præcisivo; & ea distinguuntur ratione, quorum unum non est aliud in sensu præcisivo. Quia autem hoc ipso unum non est aliud in sensu præcisivo, quod conceptus unius diversus est à conceptu alterius; distinctio rationis consistit in diversitate conceptuum, & ea distinguuntur ratione, quæ habent diversos conceptus.

Nota 3. Distinctio rationis alia est rationis ratiocinantis, alia rationis ratiocinatæ. Nam diversitas conceptuum, quæ facit distinctionem rationis, vel fundatur in re & extra intellectum, vel in intellectu tantum. Si fundatur in intellectu tantum, facit distinctionem rationis ratiocinantis tantum. Talis distinctio reperitur inter rationem prædicari & rationem subiecti in eodem homine. Nam fundamentum concipiendi eundem hominem, modò ut prædicarum, modò ut subiectum, totum est in intellectu, modò prædicante aliquid de homine, modò hominem de aliquo. Jam verò si diversitas conceptuum fundatur in re, & extra intellectum, facit distinctionem rationis ratiocinatæ. Talis distinctio reperitur inter animalitatem & rationalitatem ejusdem hominis; nam animalitas & rationalitas ejusdem hominis diversos habent conceptus; & fundamentum hujus diversitatis existit in re, & extra intellectum.

Nota 4. Entitas simplex & indivisibilis potest æquivalere multis realiter distinctis & diversis in ordine ad præstandos effectus diversos, & operandum inadæquatè; ita ut possit præcisè operari, ut æquivaleret uni, perinde ac si nullo modo æquivaleret alteri. Sic anima rationalis, quantumvis simplex & indivisibilis in se, æquivaleret duobus animabus, quarum una esset sentiens tantum, & altera tantum intelligens; & dum v. g. sentit, operatur inadæquatè. Tunc enim non magis operatur, ut æquivalens animæ tantum intelligenti, quam si ei nullo modo æquivaleret.

Nota 5. Vi hujus æquivalentiæ in re, quantumvis simplici & indivisibili, reperitur distinctio virtualis; quia vi hujus æquivalentiæ, res, quantumvis simplex & indivisibilis, habet virtutem multorum realiter distinctorum & diversorum in ordine ad diversos effectus præstandos, & ad operandum inadæquatè, perinde ac si re ipsa esset aggregatum ex multis realiter distinctis & diversis. Hinc res, quantumvis simplex & indivisibilis, vi prædictæ æquivalentiæ habet, ut possit diversis & inadæquatis conceptibus exprimi ab intellectu nostro. Quidni enim v. g. anima rationalis representari posset uno conceptu præcisè ut æquivaleret animæ sentienti tantum, & altero conceptu præcisè ut æquivaleret animæ intelligenti tantum; cum re ipsa utrique æquivaleret, & tam possit operari præcisè ut æquivaleret uni, quam si non æquivaleret alteri; & ita tam possit obijci intellectui præcisè ut æquivaleret uni, quam si non æquivaleret alteri. His præsuppositis, fit

RESPONSIO I.

Attributa divina nec inter se, nec ab essentia divina distinguuntur realiter. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Later. sub Innocentio III. c. 1. & 2. ubi definitur naturam divinam esse omnino simplicem, qualis protectò non esset, si attributa inter se & ab essentia divina distinguerentur realiter. Tunc enim natura seu substantia divina componeretur ex multis realiter distinctis. 2. Ex Conc. Rhemensi in causa Gilberti Porretani celebrato, in quo Episcopi, a. 1. Symboli, definiunt Deum esse se ipso sapientem, magnum, æternum, unum, Deum. Attributa igitur divina sunt una & eadem entitas cum essentia divina. 3. Ex S. Bernardo, lib. 5. de Consideratione, c. 7. ubi sic ait: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem.* 4. Ex axioma theologico: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Atqui attributa divina nec inter se, nec cum essentia divina habent relationis oppositionem. In Deo enim relationis

oppositio non reperitur; nec reperiri potest, nisi inter ea quorum unum procedit ab alio realiter. Ergo, &c. 5. Denique ratione. Quia si attributa divina distinguerentur realiter inter se & ab essentia divina, posset cogitari aliquid melius Deo: illud scilicet, in quo attributa & essentia essent unum & idem realiter. Nam, ut ait S. Bernardus loco laudato: *Vero iudicio natura simplex multiplici antefertur.*

RESPONSIO II.

Attributa divina nec inter se, nec ab essentia divina distinguuntur formaliter ex natura rei. Est contra Scotum.

Prob. Si attributa divina inter se & ab essentia distinguuntur formaliter ex natura rei, certè quia, ut vult Scotus, quidditas unius non est quidditas alterius, nemine cogitante. Atqui hoc falsum est. Ergo, &c. Prob. min. Nam falsum est v. g. quòd quidditas intellectus diversa sit à quidditate voluntatis, nemine cogitante. Nam in Deo intellectus & voluntas sunt una & eadem planè res, nempe entitas divina, quæ concepta præcisè ut est vis intelligendi, dicitur intellectus; & concepta præcisè ut est vis volendi, dicitur voluntas. Ex quibus

Adhuc argumentor sic. Eatenus quidditas intellectus divini diversa est à quidditate voluntatis divinæ, quatenus quidditas entitatis divinæ, ut relucens in uno conceptu præcisivo, diversa est à quidditate ejusdem entitatis divinæ, ut relucens in alio conceptu præcisivo. Patet ex modò dictis. Atqui harum quidditarum entitatis divinæ diversitas supponit aliquas mentis nostræ operationes, nempe duos conceptus inadæquatos & diversos, quibus entitas divina subiacet, & quibus sublati, tolleretur omnis diversitas: illis enim sublati, remanet simpliciter entitas divina, & inter entitatem divinam atque entitatem divinam simpliciter, nulla potest esse diversitas. Ergo diversitas quidditarum intellectus divini & voluntatis divinæ, supponit aliquas mentis nostræ operationes, & consequenter non est, nemine cogitante.

Obj. 1. In Deo intellectus verè negatur de voluntate, & vicissim. Ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. *R. N.* conseq. Nam in Deo intellectum verè negari de voluntate, & vicissim, nihil aliud est, quam entitatem divinam, ut relucens in uno conceptu, verè negari de se ipsa, ut relucens in alio conceptu, & vicissim; quia scilicet entitas divina, sumpta præcisè ut relucet in uno conceptu, non est eadem illa entitas, sumpta præcisè ut relucet in alio conceptu; sed est aliquid diversum non solum actu ex parte conceptus præcendentis, sed etiam virtualiter & æquivalenter ex parte objecti præcisive representati.

Dices. Illa distinguuntur independentè ab intellectu, quorum unum de alio verè negatur. *R. Dist.* Quorum unum de alio verè negatur independentè à conceptibus, rem eandem & simplicem inadæquatè & præcisive representantibus, C. Secus, N. *At inquires.* Non potest idem de se ipso negari. *R. Dist.* Non potest idem de se ipso negari simpliciter, & antequam diversis & inadæquatis conceptibus subiaceret, C. Non potest idem de se ipso negari secundum quid, & prout subiacet diversis & inadæquatis conceptibus, N. Sic verè dicitur: Entitas divina, sumpta præcisè ut subiacet conceptui A, non est eadem entitas, sumpta præcisè ut subiacet conceptui B. nam revera diversa est tum actu ex parte conceptuum, qui sunt inadæquati & diversi, tum virtualiter & æquivalenter ex parte objecti.

Dices. De intellectu divino & voluntate divina verè affirmantur contradictoria. Nam verè dicitur: Intellectus generat, voluntas non generat. Ergo, &c. *R. N.* ant. Nam ad prædicata contradictoria requiritur, ut idem affirmetur, & negetur simpliciter, sive ut id præcisè negetur, quod affirmatur. At cum dicitur: Intellectus generat, voluntas non generat, non affirmatur & negatur idem simpliciter, nec præcisè negatur id, quod affirmatur; sed idem de eodem affirmatur sub uno respectu, & negatur sub alio: Sensus enim est: Entitas divina, quæ æquivaleret duabus entitatibus realiter

liet distinctis, quarum una esset vis intelligendi tantum, & altera vis volendi tantum, generat, quā aequivaleret uni, nempe entitati, quæ esset vis intelligendi tantum, non quā aequivaleret alteri, nempe entitati, quæ esset vis volendi tantum. Breviter, generat, præcisè quā vis intelligendi, nullo modo quā vis volendi. In quo nulla est contradictio. Alioquin in Deo intellectus & voluntas non formaliter ex natura rei, sed realiter distinguerentur inter se.

Obj. 2. Ex Scripturis & Patribus attributa sunt multa in Deo. Ergo habent inter se aliquam distinctionem, non nisi formalem ex natura rei. Ergo, &c. *R.* Attributa divina, & quidem ante omnem mentis operationem, esse multa virtualiter & fundamentaliter. Sunt multa virtualiter, quia entitas divina, licet in se simplicissima, aequivaleret multis realiter distinctis in ordine ad diversos effectus præstandos, & ad operandum inadæquatè. Sunt multa fundamentaliter, quia entitas divina propter æquivalentiam illam, quam habet, præbet intellectui nostro fundamentum sufficiens, ut eam diversis & inadæquatis conceptibus repræsentet, & sic repræsentando, extrinsecè & intentionaliter in multa dividat. At attributa divina non sunt multa actu & formaliter, nisi cum entitas divina actu repræsentatur diversis & inadæquatis conceptibus, & per diversos illos atque inadæquatos conceptus actu in multa dividitur extrinsecè & intentionaliter.

Obj. 3. Qui cognoscit intuitivè, videt rem, ut est in se: simplicem, si est simplex; multiplicem verò, si est multiplex. Sed in cognitione, qua se ipsum intuetur Deus, intellectus divinus relucet ut distinctus à voluntate divina. Ergo, &c. *R.* In cognitione, qua se ipsum intuetur Deus, intellectus divinus relucet ut distinctus à voluntate divina virtualiter & fundamentaliter in ordine ad conceptus nostros, quatenus Deus videt entitatem suam æquivalere multis entitatibus realiter distinctis, quarum una esset tantum vis intelligendi, & altera tantum vis volendi, & posse aliquid, ut aequivaleret entitati, quæ esset tantum vis intelligendi; quod non potest, præcisè ut aequivaleret entitati, quæ esset tantum vis volendi, & vicissim; sicque præbere sufficiens fundamentum diversis & inadæquatis conceptibus, quorum uno præcisè exprimitur ut vis intelligendi, & altero præcisè ut vis volendi. At verò in cognitione, qua se ipsum intuetur Deus, intellectus divinus non relucet ut actu distinctus à voluntate divina, imò verò relucet ut actu indistinctus. Deus enim videt idem, nempe entitatem suam esse intellectum & voluntatem; vel si vis, videt intellectum & voluntatem suam esse unam & eandem planè entitatem, unam & eandem omnino quidditatem, æquivalentem pluribus quidditatibus, quarum una esset tantum vis intelligendi, & altera tantum vis volendi.

Dices. At Deus per cognitionem, qua se ipsum intuetur, videt Filium generari per intellectum, non per voluntatem. *R.* Deum hoc eatenus videre, quatenus videt Filium generari per entitatem divinam, quā vis est intelligendi, non quā vis est volendi; seu, quod idem est, per entitatem divinam, quā aequivaleret uni entitati, quæ esset tantum vis intelligendi, non quā aequivaleret alteri entitati, quæ esset tantum vis volendi. Hoc autem videndo, Deus non præcinit: non enim habet, nec habere potest conceptum inadæquatos, sed unica cognitione intuitiva cognoscit omne cognoscibile.

RESPONSIO III.

Attributa divina inter se & ab essentia divina distinguuntur ratione.

Est contra Eunomium Arianum, qui attributa divina inter se & cum essentia divina idem planè esse tum re tum ratione, contendebat, ut patet ex ipsiusmet verbis apud Gregorium Nyssenum, oratione 12. contra illum. *Non aliud quid est vita, inquit, quam essentia, ne aliqua compositio in simplici natura intelligatur, in id quod participat, & quod participatur, notione divisa; sed idem (tum re, tum ratione) quod est vita, est etiam essentia.* Unde volebat

attributa inter se & ab essentia, sola diversitate vocabulorum differre. Sed contra illum

Prob. Resp. Scriptura, Patres, & Concilia loquuntur de attributis & essentia divina, tanquam de multis. Ergo re ipsa multa sunt in aliquo sensu, non in sensu reali, aut formaliter ex natura rei, ut probatum est. Ergo superest, ut multa sint in sensu præcisivo. Ergo distinguuntur in sensu præcisivo. Nam ubi est multitudo, ibi est ejusdem rationis distinctio. *Prob. ant.* Nam 1. sic loquitur Christus, Joan. c. 16. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.* 2. Gregorius Nazianzenus ad hæc Christi verba alludens, sic ait oratione 44. *Omnia quaecumque habet Pater, sunt Filii præterquam quod ingenuus non est.* 3. Idem habet Conc. Florent. in Litteris unionis: *Omnia, quæ Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Ergo, &c.

Prob. 2. Ratione. In divinis intellectus generat, voluntas non generat. Voluntas spirat, intellectus non spirat. Essentia, idem dic de omnipotentia, aliique attributis, nec generat, nec spirat. Ergo ista omnia inter se differunt plus quam vocabulis, nam si solis nominibus differrent, quidquid affirmaretur de uno, affirmaretur pariter de cæteris; & quidquid negaretur de uno, negaretur pariter de cæteris, ut per se manifestum est.

RESPONSIO IV.

Attributa divina inter se aut ab essentia divina distinguuntur ratione ratiocinata.

Prob. Nam diversimodè concipiuntur cum fundamento in re. Ergo distinguuntur ratione ratiocinata. Conseq. patet ex not. 3. *Prob. ant.* Nam essentia & attributa divina sunt ipsa deitas, quæ, licet omnino simplex & indivisibilis in se, aequivaleret, imò & superemineret innumeris entibus realiter inter se distinctis, in ordine ad innumeros effectus præstandos, & ad operandum inadæquatè; ita ut tam posset operari præcisè ut aequivaleret uni, quam si non æquivaleret cæteris. Atqui hæc æquivalentia, vel, si vis, supereminetia entitatis divinæ, præbet intellectui nostro sufficientissimum fundamentum illam diversis & inadæquatis conceptibus exprimendi. Hoc ipso enim quod entitas divina habet æquivalentiam, aut supereminetiam illam, habet quantum est ex se, ut tam possit diversis & inadæquatis conceptibus exprimi, quam si esset compositum quoddam, vel aggregatum ex innumeris entibus realiter inter se distinctis. Ergo, &c.

Obj. 1. Ex Conc. Rhemeni sub Eugenio III. in Deo essentia & personæ distinguuntur ratione. Sic enim loquitur contra Gilbert. Porret. *In Theologia inter essentiam & personam ratio non distinguit.* Ergo multò minus attributa divina inter se aut ab essentia divina distinguuntur ratione. *R. N. ant.* Ad *prob. R.* Synodus his verbis damnare distinctionem realem essentiam inter & personas, quam admitteret Gilbertus Porretanus. Pro quo,

Nota. Gilbertus Porretanus tria docebat. 1. Duplicem esse rationem distinguendi, unam scilicet mathematicam, & alteram theologiam. 2. Rationem mathematicam eam esse, quæ logicè distinguit ea, quæ non sunt in re distincta, rem videlicet eandem & simplicem diversis & inadæquatis conceptibus repræsentando; rationem verò theologiam eam esse, quæ non distinguit, nisi ea quæ sunt in re distincta. 3. Essentiam & personam in divinis distingui secundum rationem theologiam, non secundum mathematicam tantum; hoc est, distingui realiter, non verò logicè tantum. Hanc autem realem distinctionem damnat Synodus, & in ea damnanda ipsis Porretani verbis utitur.

Obj. 2. Attributa divina non possunt distingui ratione, quin concipiantur ut multa. Atqui non possunt nisi malè concipi ut multa. Ergo, &c. *R.* Dist. maj. Quin concipiantur ut multa, hoc est, quin concipiantur esse multa; ita ut intellectus affingat illis distinctionem intrinsecam & realem, N. maj. Hoc est, quin concipiantur

tur per modum multorum, ita ut tam diversis conceptibus repræsententur, quam si essent multa intrinsecè & realiter, C. maj. Sic autem essentiam & attributa divina repræsentari nihil vetat: quamvis enim res simplex non possit concipi esse multa, seu esse aggregatum ex multis realiter inter se distinctis, potest tamen concipi per modum multorum, seu per modum aggregati ex multis realiter distinctis; hoc est, tam diversis & inadæquatis conceptibus concipi, quam si esset multa, seu aggregatum ex multis realiter distinctis, modò habeat virtutem multorum, & æquivalcat aggregato ex multis realiter distinctis, in ordine ad diversos effectus præstandos, & ad operandum inadæquatè.

Obj. 3. Res simplex, quantumcumque æquivalcat multis realiter distinctis, hoc ipso quòd est simplex, & caret partibus realiter distinctis, non potest concipi inadæquatè: non enim potest concipi, quin tota concipiatur. Ergo unus & idem est conceptus attributorum & essentia divina, communis omnibus. Ergo non distinguuntur ratione. R. N. ant. & probationem ejus. Licet enim non habeat partes formales, potest tamen concipi inadæquatè, seu concipi, quin tota concipiatur, quia habet partes virtuales, tot scilicet, quot sunt ea, quibus æquivalat: & nihil vetat eam concipi uno conceptu secundum unam partem virtuales tantum, & alio conceptu secundum aliam partem virtuales tantum, & ita deinceps. Sicut enim partes illæ virtuales, quas habet, æquivalent partibus realiter distinctis, in ordine ad diversos effectus præstandos, & ad operandum inadæquatè; ita & illis æquivalent in ordine ad posse diversis conceptibus repræsentari.

Dices. Partes etiam virtuales repugnant rei simplici, & indivisibili in se. R. N. Ratio est, quia partes virtuales non faciunt numerum actuale, nec ullam actualem distinctionem important in re cujus sunt partes: sunt enim in recto ipsa res, cujus sunt partes. Sic in Deo pars virtualis, quæ constituit ejus essentiam, est entitas divina ut æquivalens, &c. Pars virtualis, quæ constituit Deum omnipotentem, est eadem entitas divina ut æquivalens, &c. Et ita de cæteris. Unde partium virtualium multiplicitas non tollit simplicitatem, sed solum cum ea conjungit eminentiam quandam & amplitudinem: neque magis repugnat in re simplici esse partes virtuales, quam repugnat rem simplici, ob perfectionem suam, seclusis imperfectionibus, quas importat realis compositio, æquivalente composito ex multis partibus formalibus, & inter se realiter distinctis. Ex dictis,

Observa. Cognosci rem simplicem, & non totam cognosci, nihil aliud est, quam cognosci unam partem virtuales rei simplici, non cognita alia ejusdem parte virtuali. Item cognosci unam partem virtuales rei simplici, non cognita alia ejusdem parte virtuali, nihil aliud est, quam cognosci rem simplicem ut æquivalentem uni entitati, & non cognosci ut æquivalentem alteri entitati distinctæ & diversæ. Item rem simplicem cognosci totam, est eam cognosci secundum omnes partes virtuales, & secundum omnes æquivalentias, quas habet; seu est eam cognosci, quantum æquivalat. Unde res simplex tam potest cognosci, & non cognosci secundum quid; tam potest cognosci, & non tota cognosci, quam res composita ex partibus realiter distinctis.

ARTICULUS IV.

Quid senserit Gilbertus Porretanus circa distinctionem essentia divina ab attributis, & attributorum ab invicem.

NOta, Gilbertus Porretanus Pictavorum Ecclesiam rexit sæculo duodecimo. Cum in quodam Clericorum suorum Conventu aliqua sermoni, quem tunc habebat, circa SS. Trinitatem inseruisset erronea, apud Eugenium III. accusatus est à duobus Ecclesiæ suæ Archidiaconis, quibus se socium adjunxit Bernardus Abbas Claravallensis, quem adversarium Gilbertus expertus est

acerrimum. Rhemis Concilium Eugenius in causa Gilberti habuit, ubi non confirmata fidei professione, quam Bernardus cum aliis Synodi Patribus, inconsultis, qui tunc Rhemis aderant, Cardinalibus, ediderat, contra Gilbertum definiit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur in sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. His præsuppositis, queritur utrum Gilbertus attributa divina inter se & ab essentia divina distinxerit realiter, aut formaliter ex natura rei.

R E S P O N S I O.

Gilbertus Porretanus non distinxit realiter, aut formaliter ex natura rei attributa divina ab invicem, aut ab essentia divina.

Prob. Ex S. Bernardo, quem certè nemo dicit ignorasse sententiam Gilberti. Itaque lib. 5. de Consideratione c. 7. S. Doctor contra Gilbertum disputans, probat primò, omnia absoluta in Deo esse unum & idem realiter, ex eo quòd Deus sit ens, quo nihil melius cogitari potest, & simplicitas in perfectionibus melior sit, quam realis multiplicitas. *Quid est, inquit, Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane catholiceque: sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem haberis, sed centenitatem. Verbi causa, dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia: sed nisi omnia unum in Deo & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi verò non deest, quod cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quaris quid? Mera simplicitas: vero iudicio natura simplex multiplici antefertur.* Tum Gilberti & ejus assecratorum ad hoc argumentum responsum, ac proinde sententiam eorum subijcit. Scio, inquit, quod ad id respondere solent. Non multa, inquit, sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit, conferre asserimus. Sententiam autem adversariorum sic expositam refutat eodem principio. Nam sic pergit: *Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum: & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod vel uni fuerit obnoxium forme, quam nec virgo, vel uni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem, qui vel duplex est, erit meus: habeo enim meliorem. Esto quod hunc numerofo & multiplici anteponomam, sed planè præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quam non hec & illa. Est qui est, non que est. non formis substas, ut omne quod factum est. Sed neque forme, ut istis (Gilberto & ejus assecratoribus) visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicat, forma una esse contentum. Hoc est dicere, cetera pluribus, Deum non nisi uni debere quod est. Igitur, teste S. Bernardo, Gilbertus cum suis sentiebat, Deum, hac scilicet voce, Deus, supponente pro persona divina, uni tantum forme debere, quod est; forma unica contentum esse; non habere hæc & illa, sed solum hoc & illud; uno verbo, divinitatem solam, quæ etiam se ipsa est magnitudo, bonitas, justitia, & cetera omnia attributa absoluta, Deo, ut sit, conferre, hoc est, conferre Deo, ut sit Deus, magnus, bonus, justus, omnipotens, &c. Ergo Gilbertus non distinguebat essentiam divinam ab attributis, aut attributa ab invicem, sed e contra docebat essentiam & attributa esse unam & eandem realiter formam, unam & eandem entitatem, divinitatem scilicet; & in hoc tantum errabat, quòd formam & entitatem hanc, non realiter, sed solum virtualiter multiplicem, velle esse realiter distinctam à proprietatibus relativis.*

Obj. Ille realiter distinxit in Deo essentiam ab attributis, & attributa ab invicem, qui docuit Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum per formas, quæ à se invicem discrepant, & quæ non sunt Deus. Atqui hoc docuit Gilbertus, teste S. Bernardo. Sic enim loquitur S. Doctor Serm. 80. in Cantica, de sententia Gilberti: *Recedant à nobis, charissimi, recedant novelli, non dialectici, sed heretici, qui magnitudinem, quæ magnus est Deus, & item bonitatem, quæ bonus, sed & sapientiam, quæ sapiens, & justitiam, quæ justus, postremo divinitatem, quæ Deus est, Deum non esse impie disputant.*

Divi-

Divinitate, inquit, Deus est sed divinitas non est Deus. Ergo, &c.

R. N. min. Nam Gilbertus Porretanus minimè docuit Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum per formas à se invicem discrepantes, & quæ non sunt Deus, hac voce, Deus, supponente pro natura divina: sed solum docuit, Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum per unicam formam, quæ non est Deus, hac voce, Deus, supponente pro persona divina. Unde arguebat illum S. Bernardus, quod etsi non multiplicem, duplicem tamen Deum assereret: quod non ad merum simplex pervenisset: quod vel uni tantum formæ Deum reddendo obnoxium, simplicitatem, quæ clarè continetur in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, tam à Deo excluderet, quàm si cum pluribus formis realiter ab invicem distinctis subiceret: quod Deum uni saltem formæ id totum, quod est, debere vellet.

Ad verba laudata S. Doctoris R. ex illis nihil pro opposita sententia sequi. Igitur Gilbertus cum suis assererat, Deum, to Deum, supponente pro persona divina, non esse magnitudinem, quia magnus est, non esse bonitatem, quia bonus est, non esse sapientiam, quia sapiens est, non esse iustitiam, quia iustus est, non esse divinitatem, quia Deus est; assererat, inquam, quia volebat Deum non esse se ipso magnum, bonum, sapientem, justum, Deum, sed per entitatem realiter ab eo distinctam, quæ simul esset divinitas, magnitudo, bonitas, sapientia, &c. Non multa, inquiebat teste S. Bernardo, sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, nempe magnitudo, bonitas, sapientia, iustitia, &c. Deo, ut sit, conferre asserimus. Et verò si Gilbertus magnitudinem, bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. in Deo realiter distinctis ab invicem & ab essentia divina, docuisset Deum non esse contentum una forma, sed pluribus indigere; non uni, sed pluribus formis debere, quod est; non uni tantum, sed innumeris formis obnoxium esse, & subistere. Quod tamen evidenter falsum est ex S. Bernardo.

Dices. Cum Gilbertus agebat magnitudinem, quia magnus est Deus, non esse Deum; bonitatem, quia bonus est Deus, non esse Deum, &c. nomine Dei ipsam naturam divinam intelligebat. Ergo magnitudinem, bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. distinguebat realiter ab essentia divina. R. N. ant. Nam v. g. magnitudinem, quia magnus est Deus, negabat esse Deum, eodem planè sensu, quo negabat divinitatem, quia Deus est, esse Deum. At cum negabat divinitatem, quia Deus est, esse Deum, nomine Dei intelligebat, non naturam, sed personam divinam, ut probatur ex Ortone Fringensii, lib. 1. de Gestis Frederici, c. 56. ubi de Gilberto sic loquitur: Dicebat hoc nomen Deus quandoque in designatione nature, quandoque in designatione persone unius etiam poni; quare & agebat se divinitatem esse Deum in illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura: in eo vero absolute concedere non audere, quo pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur, &c. Concedebat igitur Porretanus divinitatem esse Deum, intelligendo nomine Dei naturam divinam; nec negabat divinitatem esse Deum, nisi cum intelligebatur nomine Dei persona divina. Unde Eugenius in Concilio Rhemensi errorem ejus damnans, non definiit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & divinitatem divideret, sed, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret, neve Deus (hac voce, Deus, supponente pro persona) divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi; hoc est, neve persona divina diceretur divinitate Deus, sed etiam divinitas propter identitatem personæ divinæ cum ipsa divinitate. Ergo Gilbertus, quando negabat magnitudinem, quia Deus magnus est, (idem dic de cæteris attributis) esse Deum, nomine Dei intelligebat, non naturam, sed personam divinam. Ergo non distinguebat realiter attributa ab essentia, sed solum à personis divinis, & consequenter non distinguebat ea inter se realiter.

DISPUTATIO IV.

De aliquibus Attributis divinis in particulari.

IN hac disputatione, quanta fieri poterit brevitate, agemus, 1. De simplicitate & incorporeitate Dei. 2. De sententia Tertulliani circa hanc incorporeitatem. 3. De bonitate Dei. 4. De infinitate. 5. De immensitate. 6. De immutabilitate. 7. De æternitate. 8. De omnipotentia: reliqua Attributa sequentibus Disputationibus profecturi.

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit simplex, & incorporeus.

RESPONSIO I.

Deus est ens simplicissimum.

Ira S. Thomas hic q. 3. pluribus articulis. Et prob. 1. ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi definitur, Deum esse substantiam seu naturam simplicem omnino. 2. Ex S. Bernardo, lib. 5. de Consider. c. 7. Non est compositus Deus, inquit, merum simplex est. 3. Ratione. Quia ens simplicissimum dicitur, quod se ipso est, quidquid est, absque omni compositione reali. Atqui talis est Deus. Ergo, &c. Prob. min. Melius est enti ut sic, se ipso esse, quidquid est, absque omni compositione reali, quàm non esse, quidquid est, sine compositione reali: omnis enim compositio realis multiplicem imperfectionem involvit. Unde illud S. Bernardi loco citato: Vero iudicio natura simplex multiplici antefertur. Atqui Deus habet, quidquid melius est enti ut sic: alioqui non esset ens, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. Hoc argumeto contra Gilbertum Porretanum utitur S. Bernardus, ut patet ex ejus verbis superius laudatis.

Obj. 1. Ibi non est simplicitas, ubi est multitudo. Sed in Deo est multitudo personarum, realiter distinctarum. Ergo, &c. R. Dist. maj. Ubi est multitudo, quæ facit compositionem realem, C. maj. Quæ non facit compositionem realem, N. maj. Nam sola compositio realis opponitur simplicitati. In Deo autem multitudo personarum non facit compositionem realem: nam personæ divinæ neque componuntur realiter cum essentia divina, cum non distinguantur ab ea realiter; neque componuntur realiter inter se, quia non uniuntur ad invicem; & tamen ad compositionem realem præter realem distinctionem extremorum requiritur eorundem realis unio ad invicem.

Obj. 2. Illud ens non est simplex, in quo reperitur compositio. Atqui in Deo reperitur compositio. Ergo, &c. R. Dist. maj. In quo reperitur compositio realis, C. maj. Simplicitas enim dicit essentialiter negationem omnis compositionis realis. In quo reperitur compositio virtualis tantum, N. maj. Compositio enim virtualis tantum non opponitur simplicitati, sed compositioni reali, quæ destruit simplicitatem; nec tollit simplicitatem, sed eam supponit, & cum ea perfectionem quandam & amplitudinem rei simplicis. In Deo autem reperitur quidem compositio virtualis ex natura & proprietatibus relativis, item ex essentia & attributis: at nulla reperitur compositio realis: omnis enim compositio realis vel est substantialis, hoc est, ex materia & forma; vel accidentalis, hoc est, ex substantia & accidente. Atqui utraque compositio repugnat Deo, ut potè enti, quo nihil melius esse, vel cogitari potest; cui proinde repugnant imperfectiones omnes, quas utraque compositio importat in re composita. Sic compositio ex substantia & accidente arguit in substantia indigentiam, potentialitatem & perfectibilitatem realem, mutabilitatem, &c. Compositio verò ex materia & forma importat in composito ex illis resultante insufficientiam ad existendum sine causa producente & conservante, destructibilitatem